

citer velle per se ipsam efficere, quæ alii beati non possunt.

5. Dico secundo: voluntas seu desiderium inefficax Christi, non semper habuit effectum, seu impletum fuit. Hoc etiam certum est ex Matt. 26: *Transeat a me calix iste*, et Matth. 9, et Marc. 7, ubi voluit latere, et non potuit. Et ratio ex ipsis terminis constat, quia, si actus est inefficax, non est cur semper habeat effectum; imo tunc tantum per hujusmodi actum Christus aliquid volebat, quando simpliciter nolebat illud fieri, sed potius contrarium.

6. Sed occurrit hoc loco difficultas ex Agath. Pap., in ep. decr., quæ refertur in VI Synod., act. 4, ubi differentiam constituit inter humanam et divinam Christi voluntatem, quia humana aliquid interdum voluit, quod non fuit factum, ut patet in citatis locis Mat. 9, et Marc. 7; at vero divina nihil vult, quod omnino non fiat, quam etiam indicat Damasc., lib. 3, c. 14, post medium. Quæ differentia nulla esse videtur, si sermo sit de voluntate inefficaci; quia, sicut in humana voluntate hæc non semper impletur, ita nec in divina, quia voluntas signi, vel antecedens Dei, non semper habet effectum; videtur ergo constitui hæc differentia in actu efficaci voluntatis; unde fit ex sententia Agath., aliquid humanam voluntatem Christi efficacem non esse impletam. Hæc difficultas videtur movisse Cajet. supra, q. 13, a. 4, ut diceret, aliquando non fuisse impletam voluntatem efficacem Christi, quando erat de rebus efficiendis per alios. Sed non est intelligendum de voluntate efficaci simpliciter, per quam, omnibus pensatis, aliquis absolute vult aliquid ab aliis fieri; nam hic actus in Christo esse non potuit circa effectum quem sciebat non esse efficiendum, ut supra late probatum est.

7. *Responsio.* — Intelligi ergo debet de voluntate aliquo modo efficaci, scilicet, quantum erat ex potestate et viribus naturalibus humanitatis; potuit enim Christus per voluntatem humanam, quantum in se erat, desiderare ut aliquid fieret, et omnia media existentia in sua potestate naturali adhibere, ut id consequeretur, et nihilominus id non fieri; quia vires humanæ voluntatis ad id non sufficiebant. Et hoc fortasse modo voluit Christus latere, et non potuit, quia quidquid per voluntatem humanam ut sic facere poterat, ut lateret, id præstitit, et tamen id assequi non potuit. Et in hunc fortasse sensum dixit Au-

gustinus, dicta q. 77 Novi Testamenti, non simpliciter voluisse Christum latere, sed voluisse ne alii eum manifestarent; quod tamen dicit fuisse factum, quamvis effectus intentus, scilicet, ipsum latere, obtentus non fuerit. Clarius Damasc., lib. 3 de Fide, c. 17, dicit voluntatem humanam Christi fuisse per unionem deificatam, non tamen amisisse suum naturalem motum seu actionem. Et subdit: *Quo factum est ut, cum sui conspectum subducere vellet, per se id non potuerit, quod, nimirum, Deo Verbo perspicuum hoc fieri placuisset, in se inesse voluntatis humanæ imbecillitatem.* Et hoc sensu clara est differentia inter voluntatem divinam et humanam, quia voluntas divina, quidquid ex parte sua efficaciter vult, applicando omnia media quæ per se et suis viribus efficere potest, infallibiliter fit, sive per se, sive per alios illud sit efficiendum; at vero voluntas humana per se non habet hanc vim, præsertim in iis quæ pendunt ex aliorum voluntatibus, quas ipsa per se et suis naturalibus viribus efficaciter movere non potest. Alia differentia constitui posset, quia in voluntate humana reperitur proprius et formalis actus imperfectus seu inefficax, ratione cujus dicitur talis voluntas non semper impleri; in voluntate autem divina non reperitur hujusmodi actus proprie et formaliter, sed tantum metaphorice. Sed hæc differentia et incerta est, et ad illam examinandam et declarandam oporteret multa repetere, ex iis quæ de voluntate divina traduntur 1 p., q. 19; et ideo illam omitto, non est enim præsentis loco necessaria.

QUESTIO XIX,

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI QUANTUM AD OPERATIONEM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de unitate operationis Christi. Et circa hoc quærentur quatuor.

Primo, utrum in Christo sit una operatio divinitatis et humanitatis, vel plures.

Secundo, utrum in Christo sint plures operationes secundum humanam naturam.

Tertio, utrum Christus secundum humanam operationem aliquid sibi meruerit.

Quarto, utrum per eam aliquid meruerit nobis.

Hoc modo proponendus est titulus hujus quæstionis, quanquam communiter habeatur

de pertinentibus ad virtutem Christi. D. enim Thomas in his quæstionibus non agit de virtute, sed de unitate, ut evidenter constat ex q. 17, in capite quæstionis, ubi ordinem harum quæstionum distincte explicat.

ARTICULUS I.

Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis¹.

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis. Dicit enim Dion., in 2 c. de Divin. nomin. 2: Discreta autem est benignissima circa nos Dei operatio per hoc, quod secundum nos ex nobis integre vereque humanatum est Verbum, quod est supra substantiam, et operari et pati quæcunque humanæ ejus divinæque operationi congruunt. Ubi unam operationem nominat humanam et divinam, quæ in græco dicitur Theandrica, id est, Deivirilis. Videtur igitur esse operatio composita in Christo.*

2. *Præterea, principalis agentis et instrumenti est una sola operatio. Sed humana natura in Christo fuit instrumentum divinæ, ut supra dictum est³. Ergo eadem est divinæ et humanæ nature in Christo operatio.*

3. *Præterea, cum in Christo sint duæ nature in una hypostasi vel persona, necessarium est unum et idem esse, quod pertinet ad hypostasim vel personam. Sed operatio pertinet ad hypostasim vel personam, nihil enim operatur nisi suppositum subsistens; unde secundum Philosophum⁴, actus sunt singularium; ergo in Christo est una et eadem operatio divinitatis et humanitatis.*

4. *Præterea, sicut esse est hypostasis subsistentis, ita etiam operari. Sed propter unitatem hypostasis est in Christo unum esse, ut supra dictum est⁵. Ergo etiam propter eandem unitatem, est in Christo una operatio.*

5. *Præterea, ubi est unum operatum, ibi est una operatio. Sed idem operatum erat divini-*

¹ Inf., q. 25, a. 1. Et 3, d. 10, q. 1, a. 2, q. 1, et d. 18, a. 1; et 4 cont., c. 36; et Veri., q. 20, a. 1, ad 2 et 6; et Uni., a. 1, ad 16, et a. 5; et opusc. 2, c. 211.

² A med.

³ Q. 13, art. 2 et 3.

⁴ Lib. 1 Metaph., circa principium.

⁵ Q. 17, art. 2.

tatis et humanitatis, sicut sanatio leprosi, est suscitatio mortui. Ergo videtur quod in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis.

Sed contra est quod Ambros.¹ dicit in 2 lib. ad Gratianum imperatorem: Quemadmodum eadem operatio diversæ est potestatis? numquid sic potest minor, quemadmodum major, operari, aut una operatio potest esse ubi diversa substantia est?

*Respondeo dicendum, quod supra² dicti hæretici, qui posuerunt in Christo unam voluntatem, posuerunt etiam in Christo unam operationem. Et, ut eorum opinio erronea melius intelligatur, considerandum est quod ubicumque sunt plura agentia ordinata, inferius movetur a superiori; sicut in homine corpus movetur ab anima, et inferiores vires a ratione. Sic igitur actiones et motus inferioris principii sunt magis operata quædam quam operationes; id autem, quod pertinet ad supremum principium, est proprie operatio. Puta, si dicamus in homine, quod ambulare, quod est pedum, et palpare, quod est manuum, sunt quædam hominis operata, quorum unum operatur anima per pedes, aliud per manus. Et quia est eadem anima operans per utrumque, ex parte ipsius operantis, quod est primum principium movens, est una et indifferens operatio; ex parte autem ipsorum operatorum differentia invenitur. Sicut autem in homine puro corpus movetur ab anima, et appetitus sensitivus a rationali, ita in Domino Jesu Christo humana natura movebatur et regebatur a divina. Et ideo dicebatur, quod eadem est operatio et indifferens ex parte ipsius divinitatis operantis; sunt tamen diversa operata, in quantum, scilicet, divinitas Christi aliud agebat per se ipsam, sicut quod portabat omnia verbo virtutis suæ; aliud autem per humanam naturam, sicut quod corporaliter ambulabat. Unde in VI Synodo³, inducuntur verba Severi hæretici, sic dicentis: *Ha, quæ agebantur et operabantur ab uno Christo, multum differunt. Quædam enim sunt Deo decibilia, quædam humana; veluti corporaliter vadere super terram, profecto humanum est; curibus vero vexatis, et ambulare super terram penitus non valentibus, sanum gressum donare, Deo decibile est. Sed unus, scilicet, incarnatum Verbum, hoc et illud ope-**

¹ Lib. 2 de Fide, c. 4, in 2 pag. a princip., tom. 2.

² Quæst. præc., art. 1.

³ Constant. III

ratus est; et nequaquam hoc quidem hujus, hoc vero hujus est naturæ; neque eo quod diversa sunt operamenta, ideo duas operatrices naturas atque formas juste destinuimus. Sed in hoc decipiebantur, quia actio ejus, quod movetur ab altero, est duplex. Una quidem, quam habet secundum propriam formam, alia autem quam habet secundum quod movetur ab alio. Sicut securis operatio secundum propriam formam est incisio; secundum autem quod movetur ab artifice, operatio ejus est facere scamnum. Operatio igitur, quæ est alicujus secundum suam formam, est propria ejus; nec pertinet ad moventem, nisi secundum quod utitur hujusmodi re ad suam operationem. Sicut calefacere est propria operatio ignis, non autem fabri, nisi quatenus utitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed illa operatio, quæ est rei, solum secundum quod movetur ab alio, non est alia præter operationem moventis ipsum; sicut facere scamnum, non est seorsum operatio securis ab operatione artificis, sed securis participat instrumentaliter operationem artificis. Et ideo, ubicunque movens et motum habent diversas formas, seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia operatio moventis, et alia operatio propria moti; licet motum participet operationem moventis, et movens utatur operatione moti, et sic utrumque agat cum communionem alterius. Sic igitur in Christo humana natura habet propriam formam et virtutem, per quam operatur; et similiter divina. Unde humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione divina, et e converso. Et tamen divina natura utitur operatione naturæ humanæ, sicut operatione sui instrumenti; et similiter humana natura participat operationem divinæ naturæ, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis. Et hoc est, quod dicit Leo Papa in Epistola ad Flavianum¹: Agit utraque forma (scilicet, tam natura divina, quam humana in Christo), cum alterius communionem, quod proprium est: Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Si vero esset una tantum operatio divinitatis et humanitatis in Christo, oporteret dicere, vel quod humana natura non haberet propriam formam et virtutem (de divina enim hoc dici est impossibile), ex quo sequeretur quod in Christo esset tantum divina operatio; vel oporteret dicere, quod ex divina virtute et humana esset con-

¹ Est epist. 10, cap. 4, paulo ante med. Incipit: *Ingrreditur ergo.*

flata in Christo una virtus, quorum utrumque est impossibile. Nam per primum horum, ponitur natura humana in Christo esse imperfecta; per secundum vero ponitur confusio naturarum. Et ideo rationabiliter in VI Synodo hæc opinio est condemnata, in cujus determinatione dicitur: Duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter, in eodem Domino Jesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est, divinam operationem, et humanam operationem.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionys.² ponit in Christo operationem theandricam, id est divinam civilem, vel divinam humanam, non per aliquam confusionem operationum seu virtutum utriusque naturæ, sed per hoc, quod divina operatio ejus utitur humana, et humana ejus operatio participat virtutem divinæ operationis. Unde, sicut dicit in quadam Epist. ad Caium³: Super hominem operabatur ea quæ sunt hominis; quod monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, et aqua instabilis, terrenorum pedum sustinens gravitatem. Manifestum est enim quod concipi est humanæ naturæ, similiter et ambulare; sed utrumque fuit in Christo supernaturaliter. Et similiter divina operabatur humanitas, sicut cum sanavit leprosum tangendo. Unde in eadem Epist. subdit⁴: Non secundum Deum divina faciens, non humana secundum hominem, sed Deo homine facto, nova quadam Dei et hominis operatione. Quod autem intellexerit duas esse operationes in Christo, unam divinæ naturæ, aliam autem humanæ, patet ex his quæ dicit in 2 cap. de Divin. nominibus⁵, ubi dicit, quod his, quæ pertinent ad humanam ejus operationem, Pater et Spiritus Sanctus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundum benignissimam et misericordem voluntatem; in quantum, scilicet, Pater et Spiritus Sanctus ex sua misericordia voluerunt Christum agere et pati humana. Addit autem: Et secundum omnem sublimissimam et ineffabilem Dei operationem, quam homo pro nobis factus adimplevit, immutabilis profecto Deus, et Dei Verbum. Sic igitur patet quod alia est operatio humana, in qua Pater et Spiritus Sanctus non communicant, nisi secundum acceptationem misericordie suæ; et alia est ejus operatio, in quantum

¹ Action. 4, et 8, et 9.

² Loco citato in argumento.

³ In epist. 4, circ. med.

⁴ In prædicta epist., in fin.

⁵ Inter fin. et med. partis 1.

est Dei Verbum, in qua communicant Pater et Spiritus Sanctus.

Ad secundum dicendum, quod instrumentum dicitur aliquid agere, ex eo quod movetur a principali agente, quod tamen præter hoc potest habere propriam operationem secundum suam formam, ut de igne dictum est¹. Sic igitur actio instrumenti, in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis, potest tamen habere aliam operationem, prout est res quedam. Sic igitur operatio, quæ est humanæ naturæ in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis; non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi, et divinitas ejus. Habet tamen humana natura in Christo, in quantum est natura quedam, quamdam propriam operationem præter divinitatem, ut dictum est².

Ad tertium dicendum, quod operari est hypostasis subsistentis, sed secundum formam et naturam, a qua operatio speciem recipit. Et ideo a diversitate formarum seu naturarum est diversa species operationum; sed ab unitate hypostasis est unitas secundum numerum, quantum ad operationem speciei. Sicut ignis habet duas operationes specie differentes, scilicet illuminare et calefacere, secundum differentiam lucis et caloris, et tamen est una numero illuminatio ignis semel illuminantis. Et similiter in Christo oportet quod sint duæ operationes specie differentes secundum ejus duas naturas; quælibet tamen operationum est una numero in Christo semel facta, sicut una ambulatio, et una sanatio.

Ad quartum dicendum, quod esse et operari est personæ a natura, aliter tamen et aliter. Nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personæ; et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini. Et ideo unitas personæ requirit unitatem ipsius esse completi et personalis. Sed operatio est quidam effectus personæ secundum aliquam formam vel naturam; unde pluralitas operationum non præjudicat unitati personali.

Ad quintum dicendum, quod aliud est proprium operatum operationis divinæ, et operationis humanæ in Christo; sicut operatum proprium divinæ operationis est sanatio leprosi, operatum autem proprium humanæ naturæ est ejus contactus. Concurrent autem ambæ operationes ad unum operatum, secundum quod

¹ In corp. art.

² In corp. art.

una natura agit cum communionem alterius, ut dictum est¹.

COMMENTARIUS.

Una operatio quo sensu ab hæreticis Christo tribuatur. — In explicando sensu hujus tituli merito Cajetanus immoratur, quoniam, si ille intelligatur, et res tota facillime intelligetur, et hæresis tribuentium Christo unam tantum operationem æqua facilitate refelletur. Tribus ergo modis intelligi potest esse in Christo tantum unam operationem: primo, substantialiter, seu realiter et physice; et hoc sensu nullus potuit in Christo ponere unam operationem, nisi qui in illo ponit unam tantum naturam; nam, admissa distinctione naturarum, nullus negare potest quin locutio, intellectio, et aliæ similes operationes, quæ per animam, vel corpus Christi efficiebantur, sint distinctæ actiones physice et realiter. Secundo modo intelligi potest esse in Christo unam tantum actionem divinitatis et humanitatis, non simpliciter et absolute quoad omnes actiones, sed tantum quoad actiones miraculosas, in quibus humanitas operabatur ut instrumentum Verbi; et in hoc sensu explicatur ab aliquibus dicta hæresis, et optime refellitur a D. Thoma. Quia, licet actio instrumenti, qua immediate attingit effectum principalis agentis, sit una et eadem cum actione ipsius agentis, tamen actio propria ipsius instrumenti distincta est ab actione principalis agentis; qualis erat in humanitate Christi tactus carnis suæ, vel locutio, aut aliæ similes. Quæ doctrina vera est, sed non existimo hunc fuisse sensum illorum hæreticorum, quia illi non tantum in actionibus miraculosis, sed simpliciter et absolute negabant in Christo duas operationes, et propterea simpliciter damnantur in Conciliis; si enim solum agent de illo genere actionis miraculosæ, cum non sit certum actionem propriam instrumenti necessario antecedere actionem principalis agentis, non fuissent fortasse propter solam illam causam ut hæretici damnandi, nisi quatenus incidere potest in tertium sensum jam explicandum. Tertio ergo modo dici potest, tantum esse unam operationem divinitatis et humanitatis Christi in genere actus moralis et liberi, quia, videlicet, tantum est in Christo una libertas, et una voluntas, in cujus potestate est reliquas omnes potentias

¹ In corp. art.